

THEODORVS GRECVS DOMINO LELIO DE VALLE,
 VTRIVSQUE IVRIS DOCTORI, SACRI CONCISTORII ET
 PAVPERVM ADVOCATO, SALVTEM DICIT.

Cvm te, Leli vir prestantissime, sepulchrum concedere Nicolao filio, viro eloquentissimo, statuisse intelligam, probo equidem istam etiam operam. Affert enim et sepulchri conditio aliquid ad memoriam defunctorum ; sed quod longe pulchrius et ad glorię immortalitatem efficacius est, libros dico et scripta filii, id et tuo amori et Nicolai filii studio aptius commodiusque eodem parari posse existimo. Studuit enim ille non opibus et diuitiis, quibus sibi aut ædes magnificas conderet, aut sepulchri subptuosi (*sic*) impensas relinqueret : sed virtuti et bonis litteris atque artibus, quę hominis et viuentis vera sunt ornamenta et vita defuncti memoriam seruare apud posteros omnes amplissime possunt. Nouerat ille sepulchra summorum virorum siue romanorum siue grecorum nulla nunc esse quę aliquando preclara fuere ; nomen vero illorum et gloriam seruari adhuc libris quos aut illi sua facultate ediderant, aut alii de eorum virtute conscripserunt. Itaque hoc unum magnopere curauit ut tum alii de suis laudibus iure optimo agerent, tum etiam, quod pulcherrimum est, ipse sua doctrina non modo confirmaret quę alii sibi tribuerent, verum etiam amplificaret suam existimationem, mandaretque posteris tutiorem. Quamobrem etsi sepulchri quoque opera negligenda non est, tamen longe tu melius et ex instituto filii congruentius feceris, si inter ea quę amor paternus memorię filii consulat, hoc in primis procures ut eius libri quos nondum ediderat exarentur pluribus exemplaribus recte atque edantur. Hoc enim illi laudem latius accumulabit, nomenque contra omnem seculi labem tuebitur amplius quam sepulchrum, quam statua, quam quoduis eiusmodi monumentum. Cum enim mortales sibi immortalitatem quandam comparantes, triplici illa consilii ratione moliantur, aut enim bonis fortunę ædes, sepulchra, statuas sibi faciunt, aut bonis corporis liberos procreant, aut bonis animi litteris mandant, quantum ipsi ingenio, doctrina, studio, denique virtute valent, hoc tamen unum quod litterarum bonarum

